

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Disputatio theologica de baptismo infantum ex infidelibus parentibus procreatorum

**Hafenreffer, Matthias
Mauritii, Martin**

Tubingae, 1602

[urn:nbn:de:bsz:31-128806](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-128806)



60A 2690 R

Sum
M. Caroli.

14

Disputatio Theo-
logica.

DE BAPTISMO INFAN-
tum ex infidelibus Parentibus
procreatorum.

Q V A M,

*In nomine Sacrosanctæ Trinitatis, ex consensu laudatissima
Facultatis Theologicae in celebri Tubingen-
sum Academia,*

Sub Præsidio

M A T T H I A E
H A F E N R E F F E I,

S. S. T H E O L O G I Æ D O C T O R I S
eximij, & Professoris ibidem publici, Praeceptoris sui piè re-
uerendi, ad diem 17 Sept. in Aula Noua, horis
matutinis. defendendam
suscipiet.

M. Martinus Mauritiij, Belticensis Saxo.

N O V E R I T L E C T O R, H A S C E T H E -
ses in absentia Auctoris admodum vitiose excusas fuisse : sed an-
te terminum Disputationis, secundo & emendatius
hac formâ esse recu-
sas,

T U B I N G Æ,
Apud Georgium Gruppenbachium.

ANNO 1602.

ILLVSTRISSIMO

CELSISSIMO QVE PRINCIPI,
AC DOMINO, DOMINO GEORGIO

FRIDERICO, Marchioni Badensi, & Hochbergensi, Comiti Prouinciali in Sussenberg, Domino in Rötelen, & Badenweiler, &c.

Domino suo clementissimo

Salutem & perennem felicitatem precatur.



SAEPIVS, PRINCEPS
ILLVSTRISIME, cogitanti mihi de meo
hinc abitu ad vos Sultzenbergenses, quò per
DEI gratiam vocatus sum, inter alia cogitatio-
num concepta, incidit mihi in memoriam,
tritus & prouerbialis ille versiculus: OMNIA
TVNC Bona sunt, CLAVSULA quando BONA. Cuius sen-
tentia animum meum tandem cò compulit, vt præsentem
hanc materiam defendendam eligerem, & vitam meam Aca-
demicam sic finirem: partim, vt huic illustri Academiae, & in
hac degentibus Professioribus, meis dilectissimis Præceptoribus
pro maximis mihi exhibitis beneficijs, gratam aliquam, grati
animi significationem relinquerem: partim etiam, vt publico
huius *apoteosis* & enunciationis testimonio protestarer, me
nullo vnquam tempore vel Papicolarum vel Iesuitarum, vel
Caluinianorum, & aliorum Hæreticorum, quorum maxima ex
parte corda seruituti Saranicae iam dudum emancipata esse
cognouimus, in falsam aliquam Religionis opinionem, animo
meo inclinasse, sed potius, quod palmarium semper duxi, Au-
gustanae Confessionis, instar verae Ecclesiae notae Symbolum, à
teneris, quod aiunt, vnguiculis verè amasse & exosculatum
esse. Quod SYMBOLVM, PRINCEPS ILLVSTRISIME,
ex aliqua parte conscriptum & declaratum, Augustissimo &

A 2 Celsif-

celfissimo Celfitudinis T. Nomini, humili & submiffo iam offero animo, eidemq; thefes hafce confecro & infcribo. Idq; luplicem ob caulam, primò quòd fciam Celfitudinem Tuam orthodoxæ Religionis fincero ftudio & pio zelo, in multis præclarorum virorum conuentibus hafcenus fatis prædicato & adiunctam & tenaciter addictam efle. Cui in fuper incredibilis erga literatos amor & clementia accedit. Quæ fanè talia Spiritus fancti funt χαριςματα, vt in hoc feculo in tantis perfonis rariùs confpiciantur, & vt rara, ita quoque cara celtinentur,

Deinde factum eft hoc, vt primo officij mei limine & inreffu, pro vocatione, quâ Celfitudo tua me non ita pridem, per eiuſdem Cancellarium Iofephum Herthlerum, virum vt præcellenti eruditione, ita varijs virtutum ornamentis conſpicuum, auocauit, me gratum fiſterem, & debitæ gratitudinis teſtimonium Celfitudini T. remitterem, obnixè, & quiem ſubiectiſſimè, rogando, vt Celfitudo T. audaciæ meæ clementer ignoſcere, & hanc ουγγυμμοσιαν ſcholasticam, ſolitâ clementiâ excipere, meq; vt alijs hafcenus literatis factum eſt, perpetuâ beneuolentiâ complecti velit. Pro qua gratia Dominus Ieſus Chriſtus ILLVSTRISSIMAM Celfitudinem T. diuina ſua virtute fulciet, & vnâ cum inclyta familia ſoſpitem diuq; florentem præſtabit, ad Nominis ſui gloriam, Eccleſiæ Reipublicæq; Chriſtianæ perpetuas vtilitates. Dabantur Tubing. die 7. Septemb. Anno Salutis humanæ 1602.

Illuſt. T. Celfitudinem quàm ſubiectiſſimè & officioſiſſimè colens

*M. Martinus Mauriij Belticenſis. Saxo.
Scholæ Sultzburgenſis præordinatus
iam Reſtor.*

1.
Disputatio.

D E

BAPTISMO INFANTVM
EX INFIDELIBVS PA-
rentibus procreatorum.

T H E S I S I.



VAM SALVBRESIT ET MAXIME
necessarium Sacramentum Baptismus, vel ex unico
Saluatoris pronunciatō facile intelligi potest, dicentis:
Ioan 3. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu,
non potest introire Regnum DEI.

2.

Illam ob causam discipulos suos in totum terrarum orbem emit-
tens, vt omnes homines ad salutem aeternam adipiscendam voca-
rent, non tantum prædicationem Euangelij, quod potentia est ad sa-
lutem omni credenti, sed etiam Sacrosancti Baptismatis administra-
tionem, eadem illis autoritate & grauitate demandauit.

Matth. 28. 19. Euntes docete omnes gentes, baptizantes
cos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, docentes cos ser-
uare omnia, quæcunque præcepi vobis.

3.

Quanquam autem circa Baptismi Quæstionem, si generaliter
eam considerare vellemus, plurima sint diuersorum discrepantes
Opiniones, vt Papistarum, Anabaptistarum, Schvvenckfeldiano-
rum, Calvinistarum, quos contra Sacramenti veritas & vsus non
oscitanter est defendendus: in presentia tamen de istis nihil, sed de
hac Quæstione principaliter tractabimus, quid de Baptismo Infan-
tum.

A 3

tum.

2 Disputatio de Baptismo Infantum ex infidelibus, &c.

rum Turcarum vel aliorum Infidelium, cum in nostrorum potestate venerint, sit sentiendum: Baptizari ne debeant in infantia sua, antequam ad discretionis annos peruenerint, an verò differendus sit Baptismus illorum, donec Catechumeni facti, in fidei articulis & Sacramentorum doctrina sufficienter fuerint instituti?

4.

Quod Questionis genus, ut in Finitimis Turcicarum Regionum, aut aliorum Infidelium conterminis locis, non infrequens est; ita forsitan non easdem apud omnes Disquisitiones habet, & Explicatus.

5.

1. Historia Circumcisionis.

In hac verò dilucidanda Questione, non aliam certiore viam insistere poterimus, quàm si tum instituti Baptismi, & cui Baptismus successit, Circumcisionis historiam, inde à prima usque origine, tum ipsius quoque Euangelica doctrina Fundamenta, contemplati fuerimus.

6.

Eo namque cognito, quibus isthac Sacramenta primitus & conferri debuerint, collat aq. sint: praeclarum inde de praesenti Questione iudicium poterit efformari.

7.

1. Circumcisio, Abrahamo & posteris eius deman data.

Notum itaque est, & manifestum inter omnes, Circumcisionem in V.T. Fædus seu Pactum cum Abrahamo & omnibus ipsius Posteris, quotquot in sequentibus seculis, usque ad Messiae aduentum, futuri essent, diuinitus institutam fuisse.

Genes. 17. v. 7. Statuam Pactum meum inter me & te (dicit Dominus ad Abrahamum) & inter semen tuum post te, in generationibus suis, Foedere sempiterno, ut sim Deus tuus & Seminis tui post te.

8.

Is enim cum in preputio adhuc positus Deo credidisset, reputatumq. ei esset ad Iustitiam, signum accepit Circumcisionis, Signaculum Iustitiae Fidei. Rom. 4. 11.

Sed

9.
Sed ut ea, quae ad praesentis Quaestionis diluciditatem faciunt, ex Circumcisionis historia innotescant, primò omnium de Personis, quibus ex Domini mandato ea suscipienda fuit, diligentius est dispiciendum.

2. Quinam praeter Hebraeos circumcidi debuerint.

10.
Id verò non aliunde, quàm ex ipsa Circumcisionis Institutione & obseruata diuinitusq; mandata Praxi inuestigauerimus.

11.
Mandatum Institutionis ad Abrahamum, Domino loquente, ita habet: Gen. 17. 10. Hoc est Pactum meum, quod obseruabitis inter me & vos, & Semen tuum post te, circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem preputij vestri, ut sit in signum Fœderis inter me & vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris: tam vernaculus, quàm Emptitijs, circumcidetur, ex quocunque Alienigena, qui non de Semine tuo, &c.

12.
Cuius mandati verbis hoc Primum dilucidè expressum est, Circumcisionis Pactum ad Abrahamum & omnem ipsius posteritatem pertinuisse. Statutum enim est pactum cum ipso, & Semine ipsius Fœdere sempiterno.

13.
Proximè disquirendum est, quinam vernaculi & Emptitiij sint, ex quocunque Alienigena, qui non de stirpe Abrahamaea nominantur, annè & illi, & qua conditione fuerint circumcidendi?

14.
Quod commodè tamen exponi vix potest, nisi quid vocibus istis Vernaculus, Emptitijs, Item Indigena, Alienigena, Aduena, Peregrinus, Mercenarius, Colonus, & id genus alijs veniat: quarum & hoc loco, & Exod. 12. ubi de celebrando Paschate agitur (quod non, nisi Circumcisis permittebatur) tum alibi in sacris literis frequentior usus est, explicetur.

3. Explicatio Terminorum.

Verna-

15.

Vernaculus igitur est, qui domi ex seruo natus est. Seruus est vel Emptitiuus, qui certâ pecuniâ emptus, vel iusto belli aut consimili Titulo acquisitus, aliquid Domini, non secus ac possessio possessoris, censebatur.

16.

Indigena est is, qui non aliunde venit, sed vi nominis, in ipsa illa terra, vel gente natus est: dicitur indigena, quasi inde genitus. Sic indigena Hebraeus fuit, qui Hebrais editus Parentibus, in ipsa iudaica religione quasi natus & educatus fuit. Paulus ad Galat. 2. 15. Tales appellat natura Iudeos, inquit: Nos natura Iudai, & non ex gentibus peccatores.

17.

Alienigena seu Aduena primùm est is, sicut Etymon exprimit, qui alibi genitus, aliundeq; adueniens in hoc populo locum sibi ad habitandum quarit; interdum verò & hoc nomine venit, quicumque ex gentilismo ad Hebraeorum religionem conuersus fuit: in Nouo Testamento Profelyti appellantur.

18.

Peregrinus, & ipse aliunde in terram Hebraam veniebat, non habitandi tamen, sed transcundi saltem, vel breuiter commorandi gratiâ.

19.

Mercenarius vel vera, vel erronea Religionis esse potest, qui patâ mercede operam suam locat alijs.

20.

Colonus tandem ille dicitur, qui ad habitandam & colendam terram aliquò commigrat, quales fuerunt Ba bylonij, quos Assyriorum Rex, abductis decem Israelitarum tribubus, in Samariam traduxerat. 2. Reg. 17. Et Romanos plurimas subinde Colonias duxisse, in eandem Historia frequentissimum occurrit.

Hofce

21.

Hosce Dominus, in Circumcisionis historia, partim perstringit, vernaculorum & Empitiorum in specie mentionem faciens: partim in dicto versu Exodi, & alijs Scripturae locis enumerat.

Exod. 12. v. 19. Septem diebus fermentatum non inuenietur in domibus vestris, qui comederit fermentatum, peribit anima eius de cætu Israel, tam de aduenis, quàm de indigenis terræ. Et ibidem, versu 43. Hęc est religio Phasæ, omnis alienigena, non comedet ex eo, omnis autem Seruus circumcidetur, & sic comedet: Aduena & Mercenarius non edent ex eo. Et 48. Quòd si quis Peregrinorum in vestram voluerit transire Coloniam, & facere Phasæ Domini, circumcidetur priùs omne masculinum eius, & tunc ritè celebrabit, eritque sicut Indigena terræ, si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo: Eadem lex erit Indigenæ & Colono, qui peregrinatur aquod vos.

22.

His ita pramissis, ad Quæstionem accedimus, quinam præter Hebraos circumcidi debuerint, de quibus illa posteriora mandati verba tractant.

4. De Peregrinis circumcendis.

23.

Ist hac autem non simpliciter, aut omninò generaliter de omni Alienigena accipi posse, vel inde constat, quòd ita sequeretur, Circumcisionem, non peculiariter Abrahamo & posteris, sed omnibus omninò gentibus ac populis (quòd vniuersæ tamen Scriptura & ipsius Circumcisionis distinctiuo fini, quo Hebraus populus ab omnibus alijs incircumcisus gentibus distinguebatur aduersum est) indifferenter demandatam fuisse. Stirpe namque Abrahami, ac ceteris, quicunque de ipsius stirpe non sunt, vniuersum genus hominum exhauriri omnibus est manifestum.

B

Aliunde

24.

Aliunde igitur quam determinatio adhibenda sit, est disquirendum.

25.

Id verò præstat locus Exodi 12. in proxime superioribus modo citatus. Inde namque constat, non indifferenter omnes Peregrinos, aut Seruos ad circumcidendum coactos fuisse, sed qui Seruorum comedere voluit Phasem, aut quisquis Peregrinorum in Hebræorum voluit transire Coloniam, eundem cum ipsis cultum et religionem obseruaturus: Is ad Paschatis celebrationem, cuius apud Hebræos, ut primarij Sacramenti, maximè illustris fuit & religiosa solennitas, non citius ad mittebatur, quam ipse esset, & omne masculinum ipsius circumcisum.

26.

De reliquis autem Peregrinis, licet & ipsi ab Hebræorum religione, & veri DEI cognitione, alieni non essent, non tamen inter ipsos habitabant, nihil mandati extat, quòd ad Circumcisionem suscipiendam arctati fuissent. Quorum in numero, singulare illud patientie exemplum, Iobus, cum liberis & amicis suis, Item Raguel, siue Iethro socer Moysis, cum omni familia & Ecclesia sua, nec non Naaman Syrus, & alij complures referri possunt, qui verum DEVM colentes, Circumcisionis signaculo non fuerunt insigniti.

27.

De Iobi namque, ut et amicorum, & Naamani Holocaustis, aperte, de Circumcisione verò eorundem, nihil in S. Historia legimus. Iob 1. 5. & 22. 8. &c. 2. Reg. 5. 17.

28.

Quàm verò inusitata res fuerit Circumcisio & ignota, in familia Ecclesiq; Raguelis, siue Iethronis, Siphora exponit, que propter Circumcisionem in filijs patrio more neglectam, & cum vita periculo Moysi opprobreatam, Sponsum Sanguinum illum cognominavit, Exodi 4, 24.

Cuius

29.

Cuius rei isthac assignatur ratio, quòd inter alios Circumcisionis Fines, distinctiuus non postremus fuit: quòd nimirum Hebraei, & qui cum ipsis in Conuersationis & Cultus unitate uiuerent, hoc signo ab omnibus alijs populis discernerentur, atque hac notâ manifestò constaret, qui nam ille populus, unde Messias olim expectaretur oriundus.

30.

Quamobrem Peregrini illi (licet eundem verum DEVM colerent) cum Hebraeis tamen non conuersabantur, propter eam, quam diximus rationem, ad Circumcisionem carnis suscipiendam, nulla adacti fuerunt Mandati necessitate.

31.

De Peregrinis hæctenus, quomodo ad circumcisionem obligati fuerint, satis: superest de Seruis, virum & quomodo illi ad Circumcisionem fuerint obstricti? De Circumcidendis Seruis.

32.

De hisce, non tantum Mandati verba clara esse apparent: Genes. 17. 12. tam vernaculus, quam Emptitiuus Circumcidetur: Sed etiam obseruata ibidem Praxis omnes Abrahami Seruos, vnâ cum illo Circumcisos fuisse, aperte demonstrat. Subiungit enim Historia: tulit Abraham Ismael filium suum, & omnes vernaculos domus sue, vniuersosq;, quos emerat, & cunctos mares ex omnibus viris domus sue, & Circumcidit carnem preputij eorum, statim in ipsa die, sicut ei praeceperat Deus.

33.

Quibus consentaneum fieri videtur, aliam fuisse Seruorum, Peregrinorum Colonorumque conditionem: Horum enim, nisi certis in Casibus, quid de Circumcisione statuerent, arbitrio relictum fuit; De Seruis autem præceptum videtur, eos vellent nolent, circumcidendos fuisse, cui sententiæ Abrahamæ & Interpretatio & Executio plurimum videtur suffragari.

34.

*Verum, cum in suscepta Circumcisione fidei simul atque Religio-
nis professio fieret: nemo certè inuitus aut reluctans (ne Seruus qui-
dem) ad eam suscipiendam cogi potuit.*

35.

*Quod enim ex Exodi loco 12. de peregrinis, Pascha celebraturis,
demonstratum est, quòd non citius illud concessum ipsis fuerit, quam
Circumcisione essent insigniti; idem de Seruis est intelligendum.*

36.

*Quod enim eodem illo loco precipitur: Omnis Seruus Emptitius
circumcidetur, & sic comedet: illam habet sententiam, siquidem velie
Seruus comedere Phase, prius circumcidendum esse, quòd nisi faciat,
ad Phase celebrationem nullo modo admittendum esse.*

37.

*Quin hac ipsa Lex eam, quam depromimus Sententiam haud
obscurè confirmat. Nisi enim in Hebræorum familijs Serui incircum-
cisi familiariter vixissent, sed omnes indifferenter, nolent, vellent,
circumcisi fuissent, istà Lege, de non admittendis incircumcisis Seruis
ad Phase celebrationem nihil opus fuisset.*

38.

*Illud proinde, quòd Genes. 17. v. 12. dicitur: tam vernaculus,
quam Emptitius circumcidetur: non eo sensu dictum aut preceptum
est, ut vim habeat obligandi, cogendiq; Seruos inuitos & reluctan-
tes, sed is sensus est, non excludendos esse Seruos à Circumcisione, si
modo suscipere illam in animo habeant.*

39.

*Non enim Abrahamo & Posteris eius, ita commendata fuerat
Circumcisio, ut eam vel Seruis vel Peregrinis (de quibus supra)
quamuis expeterent, conferre nullo modo liceret.*

40.

*Sed sicut illis seuerissimè precepta fuit: sic cæteris, eandem postu-
lantibus non fuit deneganda.*

Quod

41.

Quòd porrò in Circumcisionis Historia sub nexum est, Abrahamum eadem ipsa die, qua Circumcisionis mandatum accepisset, & filium suum Ismaëlem, & omnes vernaculos, omnesq; seruos et cunctos mares, ex omnibus viris domus suae, circumcidisse, illud superioribus haud quicquam repugnat.

42.

Cum enim Abrahamus sanctissimus Dei Patriarcha, & Paterfamilias deuotissimus esset, non existimandum est, quin totam familiam suam, iam antea quoque, ad veras Pietatis & Cultuum rationes diligentissima & quotidiana institutione informarit.

43.

Quam ob causam ad Circumcisionis quoque negotium expediendum, omnes illos obsequentes, & ad Dei voluntatem capessendam reuerenter promptos paratosq; habuit; ipso maximè vndecentenario Circumcisionis exemplo illis praecunte.

44.

Quae pia promptitudo, ita primum primae Circumcisionis Actum promouit, ut ille omnium masculorum in domo Abrahami vno die potuerit absolui.

45.

Nec dubium est aliud futurum fuisse, si aliqui inter seruos Abrahami inuiti fuissent & reluctantes.

46.

Ita quidem de Seruis sentimus: quos nec inuitos ad circumcisionem suscipiendam cogi: nec eiusdem cupidos ab ea excludi potuisse colligimus: aditum ipsis lege concedente diuinâ, nec ad hypocrisin urgente quenquam.

47.

De vernis autem, hoc est, de natis seruorum in domo herili, diuersum statuimus: hosce nimirum, parentibus etiam inuitis, à Patrefamiliâs circumcidendos fuisse.

6. De Vernis circumcidendis.

B 3

Not

48.

Non enim hi Parentibus, sed Domino nati sunt, neque in Parentum, sed in Dominorum potestate fuerunt.

49.

Huius sententia Rationes habemus istas: Primò, quòd non tantum Genes. 17. v. 12, dictum est: tam vernaculus, seu natus domi, quàm Emptitiuus Circumcidetur: sed proximo statim 13. versu reperitur: Circumcidendo circumcidetur natus domus tua: & acquisitio argenti tui: hoc est, omnino circumcidetur, & vernaculus, & Emptitiuus.

50.

Deinde, quanquam de Seruis, vspote Adultis, Exod. 12. 44. hac explicatio addita sit, quòd si velint Phasè comedere, prius Circumcidantur, hoc est, Seruorum, & Adultorum, arbitrium & voluntatem intercedere necesse fuit: nihil tamen huiusmodi de Vernis legitur, vt qui non in Parentum, sed in Patrisfamiliàs potestate fuerunt, & propterea, siue assentirent Parentes serui, siue abnuerent, Patrisfamiliàs curà, secundum communem legem, Octauo die Circumcidantur.

51.

Tertiò, Eòdem accedit, quòd cum dicto loco, Exod. 12. 48. de Peregrinis, ad Paschatis celebrationem admittendis, Lex figitur, eà dispositum est aperte, tum parentes prius, tum omne ipsorum masculinum Circumcidendum esse: in consimili tamen Lege, quæ versu 44. de Seruis, in eodem negotio præcessit, de Adultis quidem (seruis) idem præcipitur, vt in superioribus dictum est, sed filiorum ipsorum nulla fit mentio. Hoc nimirum præsupposito, Vernas cuiusque Patrisfamiliàs curà, iam dudum Circumcisione insignitos esse. Propterea dictà lege, versu 44. tantum de adultis Seruis, non etiam de Vernis, fuit disponendum.

52.

Quibus omnibus ita deductis, tandem concluditur, in Hebræo populo, adultum quidem inuitum Peregrinum neminem circumcisum:

sum: Cupidos autem, maximè Seruos & Colonos, desiderio suo non priuandos: tùm uermas, & quoscunque Infantes in Patrum familiâs potestate positos, communi Circumcisionis lege curandos atque Circumcidendos fuisse.

53.

Sed quid hæc antiqua de Circumcisione tam prolixè, cùm non de Circumcisione Veteris Testamenti, sed de Baptismate Noui Testamenti, præsens instituta sit disquisitio.

54.

Eò nimirum, ut ex Analogia Circumcisionis iudicari possit, quid etiam de Baptismo, qui illi succedit, piè sentiendum.

55.

Quanquam enim Circumcisio & Baptismus diuersa sint, diuersis temporibus instituta Sacramenta: plura tamen communia habent: Quæ in altero probè ponderata, alterius ritè examinandi eleganter efformant iudicium.

56.

Sicut itaque in Veteri Testamento cum Abrahamo, & omni ipsius posteritate, Circumcisio instituta fuit: sic in Nouo Testamento, illà antiquatà Institutus, & Christi Saluatoris præcepto, in uniuersum orbem propagatum, mandatus est Baptismus.

57.

Hic, quibusnam Hominibus, & Quando conferri debeat, in præsentii positum est Quæstione.

58.

Ad cuius dilucidam explicationem non ea tantum, que de Circumcisione præmissa sunt, sed & illa maximè, que totius Evangelicæ doctrinæ, de misericordi voluntate Domini, & uniuersali merito Saluatoris, fundamenta continent, plurimum lucis sunt allatura: non neglecta interim Praxi, quam ipsi sancti Apostoli, in Baptismate dispensando, ubique adhibuerunt.

II. Fundamenta doctrinæ Evangelicæ.

Nota

59.

Nota igitur sunt Fundamenta salutis, cuius ob signanda causâ Baptismus, Noui Testamenti Sacramentum, institutus est: nolle nimirum Dominum quenquam perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. 2. Pet. 3. 9.

60.

Notum est, hanc misericordiam & vniuersalem Dei voluntatem secutum esse meritum vniuersale Saluatoris, qui propitiatio factus est pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiã pro totius mundi. 1. Ioh. 2. 2.

61.

Hanc voluntatem Patris clementissimam, hoc meritum Filij pro omnium hominum totius mundi peccatis sufficientissimum, annunciat Euangelium per totum orbem diuulgandum, commissum Apostolis, mandante Saluatore. Marc. 16. 15. Euntes in mundum vniuersum, predicare Euangelium omni creaturæ.

62.

In eum autem finem annuntiatur Euangelium, vt omnes inde Fidem acquirant, Fide regenerentur, iustificentur, saluentur.

Iohan. 1. v. 7. Iohannes venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Iohan. 17. v. 21. Non pro eis rogo tantum, sed etiam pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint, & credat Mundus, quia tu me misisti. Actor. 17. v. 30. Deus annunciat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant, eò, quòd statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in iustitia, per virum, per quem decreuit, fidem offerens Omnibus. Ephes. 3. 8. Mihi omnium sanctorum minimo data est hæc gratia, in gentibus euangelizare in peruestigabiles diuitias Christi, & illuminare gentes. Coloss. 1. 28. Annunciamus Christum, admonentes omnem hominem, & dēcotes omnem hominem in omni sapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu.

Huius

63.

Huius Regenerationis, Sanctificationis, & Salvationis Medium instrumentum & oblationem, ordinavit Dominus Baptismum. Matth. 28. v. 19. Euntes, docete omnes gentes, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Marci 16. 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, Saluus erit. Ioan. 3. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei. Act. 2. 38. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum. Ephes. 5. v. 26. Christus semetipsum tradidit pro Ecclesia, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo, vt sit sancta & irreprehensibilis, non habens maculam aut rugam. Item ad Tit. 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.

94.

Hiscæ postis, proximum est, vt ad diluciditatem presentis Quaestionis Praxin Apostolicam inuestigemus, quibus illi Baptismum, & III. Historia Baptismi. quando contulerint?

65.

Illæ verò non aliunde certius, quàm ex Actis Apostolorum euolui potest.

66.

Vnde constat, Petrum Apostolum in Pentecostes festo, postquam de Christo & Passione ipsius grauitè perorasset, tandem ad compunctos corde, & in Christi obsequium paratos, in hæc verba locutum esse: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Vobis enim facta est promissio, & filijs vestris, & omnibus, qui longè sunt, quoscung; aduocaueris Dominus Deus noster, Act. 2. v. 38.

67.

Quidq; ad hanc Petri Concionem secutum sit, confestim ibi exponitur. referente Luca; Baptizatos esse, qui sermonem Petri libenter receperint, & appositas esse animas circiter ter mille, die illa. Act. 2. 41.

C

Simi-

68.

Similiter Samaritani, cum credidissent Philippo euangelizanti de regno Dei, deq. nomine Iesu Christi, baptizati sunt viri & mulieres. Act. 8. 12.

69.

Ab eodem Philippo, postquam exposuisset Scripturas, & Euangelizasset Iesum, baptizatus est credens Aethiops, Eunuchus Thesaurarius Reginae Candaces. Act. 8. 36. Cum enim Eunuchus: Ecce Aquam, quid prohibet me baptizari? Dixit Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Qui respondens, ait: Credo Filium Dei esse Iesum Christum: & insit stare currum, & descenderunt uterq. in aquam, Philippus & Eunuchus, & baptizauit eum.

70.

Casarea quoq. domestici Cornelij Centurionis, audientes verbum Petri accipiunt Spiritum sanctum, & baptizantur, dicente Apostolo: Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos? & insit eos baptizari in nomine Domini. Act. 10. v. 44. & 47.

71.

Philippis, Lydia purpurarum venditrix, ex Pauli concionibus fidem consecuta, & ipsa & domus ipsius baptizata est. Act. 16.

72.

Ibidem carceris Custos, postquam expetisset, & voti compos audisset ex Paulo & Sila viam salutis, cum omni domo sua baptizatus est. Act. 16. v. 30.

73.

Crispus etiam, Corinthius Archisynagogus, cum omni domo sua & multis alijs credentibus Corinthijs baptizatur. Act. 18. 8.

74.

Nec Paulus Apostolus ipse citius baptizatus est, quam mutato persecutionis animo, sese totum in Christi obsequium resignasset, & factus Domino vas electionis, ab Anania salutatus esset Frater. Act. 9. 6. & sequentibus & 22. v. 10. & seqq.

Ex

75.

Ex quibus omnibus illud conficitur: neminem Adultum inuitum aut reluctantem baptizandum esse.

76.

Non enim Apostoli, ut ex præmissa Apostolica Praxi planissimè patet, in quacungq; loca venerunt, confestim omnes obuios Baptismate tinxerunt: sed prius informarunt verbo auditores, & per verbum ad fidem Christi conuerterunt, quàm Sacramento regenerationis obfigurarunt.

77.

Nec potuissent etiam à Baptismate sui Ministerij initium, facere. Quia enim quarumcunque terrarum populis, nulla Sacramentorum cognitio fuisset, nullum quoque eorundam desiderium aut religionem habuissent.

78.

Prius igitur, quod Praxis habet, verbo Euangelij Auditorum animi informandi fuerunt, qui postea de via salutis probè instituti, spontè susceperunt & expetiuerunt Baptismum.

79.

Quos autem Adultos ad fidem Christi verbo instituerunt, eosdem unà cum Liberis suis, si quos habuerunt, lauacro Baptismatis initiarunt.

80.

Sic enim Apostolum Petrum in Pentecostes festo concionantem audimus, ut gratia promissionem, non adultis tantum factam esse ostendat, sed & eorundem liberis: nec illis solummodo, qui iam verbum audirent, sed quicumque, ex quocunque populo, ad veritatis agnitionem sint peruenturi.

Actor. 2. vers. 39. Vobis facta est repromissio & filiis vestris, & omnibus qui longè sunt, quoscunque aduocauerit Dominus Deus noster. Actor. 10. vers. 34. Item Petrus: In veritate comperio, quoniam non est personarum acceptor DEVS, sed in omni gente, quæ timet Deum, & operatur iustitiam is acceptus est illi.

C 2

Nec

81.

Nec existimandum est, tum ex Gentibus, tum ex Iudeis conuersos Parentes, minorem Liberorum, quàm propriae salutis rationem habuisse.

82.

Maximè, cùm Baptismus non una vniuersalitatè ratione Circumcisioni praestaret: tum Temporis, tum Sexus, tum etiam Obligationis respectu.

83.

Baptismus equidem, quoniam Tempore percipi potest, nec octauum ab ortu Infantu diem, ut in Circumcisione, expectari oportet. Communis quoque est, tam viris, quàm feminis, nec vni tantum virili Sexui, ut Circumcisio, assignatus: nec denique, unam tantum gentem, ut Circumcisio Hebraeam, sed omnes totius Orbis gentes, & praesentes, & usque ad consummationem seculi futuras, obligat: mandante Salvatore, Matthaei ultimo capite: Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti.

84.

**I V. Decisio
Casuum.**

Hiscè, qua de Circumcisione, propter Analogiam, repetita, tum de Fundamento doctrinae Euangelicae, & de Baptismo eiusque celebrata Praxi, haecenus exposita sunt, ita sese habentibus; iam dilucidius erit, quid de quibuscunque propositis Casibus pronuntiandum.

85.

**I. De baptizando
Adulto.**

Primum enim hinc expeditum est, nullum Adultum hominem, qui ad Christianam fidem nondum est conuersus, baptizandum esse. Cùm Baptismus inter ceteros fines, non tantum publica sit confessionis protestatio, sed tota etiam, tum Christi Saluatoris Institutio, tum Apostolica obseruata Praxis demonstrat, Adultorum solos eos, qui verbum salutis receperint, & praecepto Christi baptizandos, & exempla Apostolorum baptizatos fuisse.

Proxi-

86.

Proximus est ille Casus: Quando ex quacunque infidelium gente, vel unius vel plurium Liberorum Parens, ad Christianam fidem conuersus est, quid ibi circa Baptismi questionem sit faciendum?

2. De baptizandis Parentibus & Liberis.

87.

Hic si animum intendamus illis, qua superius de Colonia & Regula Petri, ipso Pentecostes festo Hebraeis promulgata, dicta sunt: planum erit, & Parentem & Liberos, si vel & ipsi quoque credant, vel per atatem repugnare non possint, baptizandos esse.

88.

Diligenter enim hic notanda est Analogia Circumcisionis & Baptismi.

89.

Nam quemadmodum, qui in Veteri Testamento Coloniam agere, & inter Hebraeos, tum vita tum Religionis communiione, conuersari voluit, & ipse debuit, & omne masculinum ipsius (sicuti in superioribus hac exposita sunt) circumcidi: sic in Nouo Testamento, & Conuersus & Liberi ipsius sunt baptizandi.

90.

Vi quoque Regula D. Petri: Vobis & filijs vestris facta est repositio. Act. 2. v. 29. quam ille ex promissione Abrahamo facta extruxit. Genesis 17. 7. Ero DEVS tuus, & Seminis tui post te.

91.

Quibus iisdem Fundamentis, etiam in media Christi Ecclesia, omnes pij Parentes, suos quamprimum editi sunt fetus, Baptismatis lauacro initiare solent.

92.

Sed plus dubitationis habere videtur ille Casus: Quando vel Emptione, vel Belli iure, vel quocunque alio iusto titulo, in Christianorum potestatem & possessionem venerint, una cum Liberis suis infidèles Parentes.

3. De baptizandis infidelium Liberis, inuitis Parentibus.

C 3

Hic

93.

Hic equidem expirasse iam videtur Regula Apostolica: *Vobis & filijs vestris repromissio. Actor. 2. 39. Item. Ero Deus tuus & seminis tui post te. Genes. 17. 7.*

94.

Quia enim Parentes infideles sunt, vi illorum axiomatum non ipsis tantum, sed & liberis: non modo salus, sed & salutis sigillum, Baptismus videtur denegandus esse.

95.

Verum in eiusmodi Casu, inter Parentes & Liberos diligenter est distinguendum.

96.

Ad Parentes enim quod attinet, quia respuunt gratiam, & vitam aeternam sese iudicant indignos, omne consilium Dei de se Contemnentes, suum iudicium sunt habituri.

97.

Ad Liberos autem ipsorum quod attinet, si & ipsi adoleverunt, & una cum Parentibus verbum salutis repellunt, idem sanè cum ipsis portaturi sunt iudicium.

98.

Si Infantes adhuc sint, dextra sinistraq; iudicio destituti, ab ijs, in quorum potestate sunt, ad initiationis Sacramentum, Baptismum, etiam inuitis ipsorum Parentibus, pie possunt ac debent promoueri.

99.

Rationes & Fundamenta huius pronuntiati, ex superioribus patent.

100.

Quia namque istius generis Infantes, non in Parentum sed in Dominorum, quorum pecuniâ empti, aut belli lure capti sunt, potestate viuunt; nullus certè in hac re parentum dissensus attendendus est.

Et quem-

101.

Et quemadmodum verna circumcidi potuit, vel abnuente vel annuente Parente seruo, uti in superioribus monstratum est: ita captus Infans baptizari potest, etiam abnuente Parente, cuius potestati ille exemptus est.

102.

Nec metuendum in tali Casu, Infantis saluti obstare Parentum infidelitatem.

103.

Non enim nouum aut singulare est, in ipsa quoque Ecclesia, impiorum aut sceleratorum Parentum, pios & sanctos, euadere liberos: uti vicissim non raro euenit, sanctorum Parentum posteros esse noxas.

104.

Clariora sunt & frequentiora huius rei in utramque partem Exempla, quam ut prolixiori oratione opus sit.

105.

Nouimus enim impij Saulis Regis, pium filium Ionathanem. Nouimus Impij Achabi, pium filium Ezechiam. 2. Reg. 14. v. 1. Iosiam Nouimus, Regem singulari pietate celebratum, Amone Impio & Idololatrâ Parente profeminatum. 2. Reg. 21. 2. Paral. 33.

106.

Vicissim nouimus Cainum, sanctissimi Protoplasti degenerem filium. Genes. 4. Camum Noachi. Genes. 9. v. 22. Esauum Isaaci. Genes. 26. v. 34. Ionathanem Moysis nepotem Idololatrâ. Iud. 18. Nouimus item filios Eli. 1. Sam. 2. v. 22. Filios Samuelis. 1. Sam. 8. Absolonem Dauidis. 2. Sam. 16. Manassem denique, optimi Regis Ezechia, de genere filium. 2. Reg. 21. v. 3. Et qui nam prolixus Catalogus degeneres optimorum Parentum posteros complecteretur?

107.

Nec eò descendendum est unquam, ut filiorum salutem à parentum sanctitate dependere statuamus,

Prater-

108.

Præterquam enim, quod isthac in Caluini partes inclinaret sententia, qui Lib. 4. Instit. c. 16. sect. 15. asserit; Eandem à Parentibus sanctificationem, Christianorum Liberos ducere: Insuper & Baptismi virtus dubia; omnium Baptizatorum irrequia & perpetuo fluctuans redderetur Conscientia. Quis enim unquam satis certus esse possit, utrum Parentes satis Pij, atque fideles satis fuissent?

109.

4. De baptizandis Infidelium Libris, nescijs Parentibus.

Priori haud dissimilis Casus isthic habetor: Quando Infans sine Parentibus, in Christiani hominis possessionem venerit.

100.

Hic enim Tutoris ac Patroni Christiani, proprius factus Client: piè ab eodem Baptismatis lauacro, nescijs etiam Parentibus, inicianus offertur, idem, cum adoleuerit, in capitibus sana Religionis diligenter instituendus.

III.

Fundamenta huius assertionis, præter Circumcisionis Analogiam circa Emptitios, & Apostolicam Praxin, ex ipsius quoque Evangelica doctrina medullis extruuntur.

112.

Quia enim Deus à gratia sua neminem repellit, sed omnes ad pœnitentiam & agnitionem veritatis peruenire vult, ut in superioribus præmonstratum est: dubium certe nullum esse potest, quin eiusmodi quoque Infantis salute impendio delectetur.

113.

Hic insuper insonare debet regula Apostolica, qua totius huius disquisitionis primarium quasi Fundamentum est: Vobis facta est re-promissio & filijs vestris, & omnibus, qui longè sunt, quoscunque aduocauerit Dominus Deus noster; Act. 2. v. 30.

Genera-

114.

Generalem audimus, quorumcunque aduocandorum promissionem: nullâ additâ, vel gentis vel atatis vllius, determinatione, modo Dominus aduocauerit.

115.

Modus autem vocationis non vnus est. Vfitatus quidem & Regularis est, per Ordinarium ministerium verbi: sed extra ordinem, mixtis fulguribus vocauit Paulum: interuentu visionis, Cornelium: sic mediante Emptione, Donatione, aut Bello, vocat istos Infantes, qui ab vberibus & potestate Infidelium parentum, quoquo isto modorum abrepti, singulari Dei misericordia, in sanctum Ecclesia domicilium transferuntur. Haud secus, quàm Paulus, peculiari medio ex Sacerdotum & persecutorum Concilio, in Christianæ Ecclesia gremium translatus fuit.

116.

Quam gratiam, cum istiusmodi Infantibus concedat Dominus, quid cause sit, cur eiusdem confirmandæ & locupletandæ Sigillum, Baptismus ipsis, in Ecclesia gremio iam viuentibus, denegetur?

117.

Difficulter aliquid cause negati Baptismi assignetur, quod non vel carnalem sanctitatem, quæ iam dudum Euangelij verbis explorata est, vel absolutum Caluinianorum decretum sapiat, quod similiter, vt blasphemum & impium iam dudum S. S. Scriptura fundamentis condemnatum est.

118.

Hosce precipuos putamus esse Casus, qui circa Baptismum Infidelium, vel paganorum, seu Adultorum seu Infantum, communiter occurrere possunt.

119.

Eosq; ex Analogia sacræ Scriptura, & Fundamentis doctrinæ Evangelicæ, pie credimus euolutos.

D

Speramus

120.

Speramus enim, Omnes, hosce diligentius examinatuos, & S. S. Scripturae (quae ubique una Canosura esse debet) eiusq; Analogia, non negligens studium perspicue deprehensuros esse.

121.

Interea tamen non ignoramus, in presenti Argumento (si maxime Rationis nostrae iudicium vel per transennam admittatur) plures adhuc sepultas latere Quaestiones.

122.

5. Quaestio de
dilatione Ba-
ptismi.

Quarum illa primaria sit; Quanquam Infantibus illis Baptismus non videatur denegandus, annon tamen consultius videatur, illum usq; ad discretionis annos, dum Catechumeni facti, ipsi de salutis rationibus institui & confiteri possint, differre?

123.

Ad illam Quaestionem idem nos respondemus, quod Cyprianus de Infantibus in Concilio sexaginta sex Episcoporum, rationibus ex verbo Dei sumptis, definitum esse respondit. Lib. 3. Epist. 8. ad Fidum, Baptismum nimirum, ex Analogia Circumcisionis, non in octauum diem differendum, sed recens natis sine dilatione administrandum: adeoque neminem à Baptismo prohibendum. Et addit: Quod cum circa uniuersos obseruandum sit & retinendum, tum magis circa Infantes ipsos & recens natos obseruandum putamus. Hac ille.

124.

Ista, quamuis de Baptismo fidelium eorundemque Infantum responsa sunt: optimè tamen ratione ad Infantes quoque Infidelium, iam iam in Ecclesia gremium familiamq; translatos, accommodantur.

125.

Quiuis enim paterfamiliàs, adeoq; tota Ecclesia, non minorem totius familiae suae, quam propriae suae Salutis, debet habere rationem.

Sicue

126.

Sicut igitur ex se natos Infantes, sine mora ad Baptismatis laucrum quiniſ Pater familiãſ promouere debet; ſic vel Adultis paganis conuerſis, vel Infantibus familia ſua illatis, ex ſuperiũſ diductis Cauſis, eandem conuenit curam adhiberi.

127.

Sicut etiam Apoſtolica Praxis, omnem Baptismatis differendĩ moram, ſublata fuiſſe apertè teſtatur. Vno namq; Pentecoſtes die, ad Petri Concionem circiter ter mille homines baptizati, & fidelium cenſui annumerati ſunt. Actõr. 2. Ita Philippus, Eunuchum Aethiopem ſine morã Baptismate tingit: cum de curru, quo utrique uehebantur, deſcendiſſet. Actõr. 8. 38. Petrus ſimiliter Cornelium, domumq; ipſius, antequã inde diſcederet, iuſſit baptizari. Actõr. 11. 47. Cuſtos carceris poſtquam ipſe, & domus ipſius, ex Paulo & Sylã uerbum ſalutis audiuiſſent, baptizatus eſt & ipſe, & omnis domus eius CONTINVO. Actõr. 16. 33.

128.

Quòd ſi igitur hoc (ut cum Cypriano loquamur) circa Adultos ita obſeruandum eſt: magis circa Infantes ipſos, ſiue recens natos, ſiue recens in familias Fidelium illatos, obſeruandum putamus.

129.

Quanquam enim, ſi carnalem Natiuitatem ſpectes, Apoſtolicum Axioma: uobis & filijs ueſtris facta eſt repromiſſio: in hoc Caſu non ſimpliciter accommodari poſſit: Talis infans tamen, peculiari extraordinario modo, de longè, in curam & tutelam fidelis Patris familiãſ uocatus eſt.

130.

De alijs, quã plures reſtant, proponiq; poſſunt, Quæſtionibus: 6. Quæſtiones de modo uocationis & uocatorum numero.

utpote, Cur hi Infantes præter ceteros, hoc modo uocati ſint? Cur ceteri non iidem? & qua ſunt id genus ſpinofa alia; nos piam noſtram ignorantiam libenter humiliterq; conſitemur: & Deo Optimo ac miſericordiſſimo, eiũſq; conſilijs, Rationis noſtra iudicium reuenter ſubycimus.

D 2

In

131.

In eiusmodi enim (singularibus maximè & extra Ordinarijs), non incommode cum Paulo respondemus. Rom. 11. 33. O altitudo diuitiarum, sapientia & scientia Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles via eius? Quis cognouit sensum Domini? aut quis Consiliarius eius fuit? aut quis dedit illi & retribuetur?

132.

Huc etiam accommodare possumus, quæ Concordia Liber in Articulo de aterna Dei prædestinatione habet, in hac verba:

133.

Accuratè discrimen obseruandum & retinendum est, inter id, quod de hoc negotio expressè in sacris literis reuelatum est, et inter ea, quæ non sunt reuelata. Præter illa enim, quæ nobis de hac re in Christo manifestè proposita sunt, multa adhuc Dominus reticuit, & occultauit, eaq; solis suæ sapientia & scientia reseruauit. Talia inuestigare, cogitationibus nostris indulgere, aliquid de ijs statuere aut scrutari nobis non licet. Hac admonitio in hoc mysterio apprime necessaria est, ea enim est corruptæ nostræ naturæ curiositas, ut magis ijs, quæ abstrusa & arcana sunt indagandis, quàm ijs, quæ de hoc negotio Deus nobis reuelauit, cognoscendis, delectentur: præsertim cum quædam in hoc mysterio tam intricata & perplexa occurrant, quæ nos in mentibus nostris, acumine ingenij nostri, conciliare non possumus: sed neque id nobis à Deo demandatum est: Quare eiusmodi rebus peruestigandis super sedere oportet. Hac ibi:

134.

Quæ verò Concordia Liber in Prædestinationis Articulo generaliter considerat; illa nos ad præsentem Quæstionem specialiter accommodare possumus ac debemus.

135.

Cur enim Dominus hunc aut illum Infantem infidelium, isthoc vel alio modo in cæcum Credentium cuocet? Cur hunc & istum Empiissimum

ptitum Seruum in Hebraeorum familiam transtulerit : & isthac ratione Ecclesie intulerit, at que viam ad salutem promptiorem planiorumque, pluribus alijs isto modo relictis, parauerit? Cur hac ratione Saulum in Paulum conuertere voluerit, non alios similiter? Istorum omnium rationes, in hac quidem vita, ignoramus.

136.

Hoc solum Scripturarum Comminationibus & Exemplis manifestum est, Parentes inobedientiâ & ingratitude sua, non sibi solis, sed etiam Posteritati, maximas accersere calamitates.

137.

Id, quod non tantum in Adami protoplasti Peccato, sed in Iudaicis quoque obstinatis hominibus: tum Exemplo earum propè omnium gentium videre est, apud quas ipsi Apostoli primas plantauerunt Ecclesias, quæ per Ingratitudinem sibiq; suisq; posteris, cælestis doctrinæ puritatem pleraque amiserunt.

138.

In quibus omnibus, & Iustitiæ & Bonitatis vestigia mirari, Deo respondere nequaquam licet.

139.

Nos, qui Dei beneficio Lucis diuinæ radijs, undique collustramur, publico verbi cælestis ministerio in omnibus salutis nostræ, veraque fidei Articulis quotidie erudimur: Sacramentis confirmamur, & obfirmamur, aliorum exemplis moniti, qui per ingratitude & scelera tantis donis priuati sunt: in sancto Dei timore perpetuo viuamus, diuinis muneribus, ad nostram & posteritatis eternam salutem sic utamur, ut nos diuinitus omnibus hominibus concessis medijs, per Christum saluemur, eademque ad posteros quoque diuinâ benignitate propagentur, Amen,

Amen.

D 3

A D

AD PIETATE, VIRTUTE,
ET ERVDITIONE EXCVLTIS-
SIMVM VIRVM, DOMINVM M. MAR-
TINVM MAVRITIVM, amicum suum
dilectissimum.

E E A Σ T I X O N.

Scriptum à

M. Erhardo Weinmanno Knit-
lingenfi, SS. Theol. Stud.

כי אל חנן כל עת בכרכה כל ומול גומל:
לאיש חסיד הכס הם גם את טוב עמול עימל:
אתה דור גמשי כל יום חיין ראות הראה:
את ברכ האל ומדעיתו המיר דעת הרעה:
דק כמו ער עתה כן ער לך הס כודרבין:
ומזאת כל חן בעיגי אל בחיין:

H O C E S T.

Cum Deus huic semper clemens benefacta refundat,
Qui pius, & sapiens, perfectus, amator honesti,
In te dona idem cumulabit, dulcis amice,
Et benedicti æui tondebis pascua læta.
Tu modo ne solitâ excedas regione viarum,
Nunquam oculos Deus auertet lætumque fauorem.

F I N I S.

T V.
LTIS
M a r

DIS
C

PE
VER

RO,
He Tbe
bingen
tatt, a

